

hunc nostri Solis Zodiacum, suo vti in Caelo, ac velut in
Solstitio siferem? Et quidem si ille à Belluis, ac Feris,
quas continet, Zodiacus dicitur; an non hoc nouo deberetur
Herculi easdem, quas è terris sustulit, humeris inter Side-
ra euebenti, & vtrobique, quas strauit, ac domuit, in-
trophæa, atque exuias conuertenti? Fuit olim FRANCISCI,
præteriti scilicet Seculi Thaumaturgi, onus, & honos;
Vitia ipsa dum calcaret, pro aliis, ne dum scalis, attollere: to-
tidem Sidera, quot Mala Cælo pro coronis inferere, ac
Miracula ipsa ita præ manibus habere, ac trita reddere,
vti Veterum fabulis, non maculas tergeret, sed penè fidem
adstrueret; in hoc IOSIÆ sanctissimo Regi dissimilis, quod il-
le Duodena Zodiaci Signa vti sacrilega, è Templo sustu-
lit; hic eadem Signis suis, vti cælestia efficeret, expiauit.
Nec satis erat cum omnium Elementorum rudimentis
præludere, ac victoriarum suarum in terris ponere tyroci-
nia; nisi triumphalem currum eam per semitam, in quo
non vnus exorbitat Phaëton, totis habenis impavidus age-
ret, eodemque tot Ferrarum sese redimens Circulo tandem
supremo in Capitolio audiret: Veni coronaberis de cubi-
libus Leonum, de montibus Pardorum. Hanc igi-
tur repuerascentis, ac senescentis Solis nostri Fasciam,
tot distinctam luminibus, quot Portentis, ne obstretrix, ac
Lucina, dum in lucem reuoluitur, deesset; cui nisi Tibi,
COSME SERENISSIME, crederem, cuius si Nomen in-
spiciam, Mundum continet: si Stemma, Sex amplectitur.
Planè quasi de Te, quod de Alexandro, dici meritò possit:
Vnus Pellæo Iuueni non sufficit Orbis. Neque enim tot
ille suo somnians cum Democrito somniabat, argenteo vel
Orbe suspensus dum somnum caperet; vti non plures. Tu
Geni.